

P. Carolus Melchiori (1924-1959)

(*Prov. Bonaërensis*)

Die 22 dec. 1959, 36 aetatis annum agens, in Domino obdormivit P. Carolus Melchiori qui, gravi diuturnoque morbo affectus, nobis omnibus sese patientiae praeclarum exemplar praebuit.

P. Melchiori natus est 4 nov. 1924 in vico Andalo (Trento, Italia). Puer, egestatem experiens, illum fortem animum, cuius in vita permulta dedit exempla, adeptus est. Tener adhuc, una cum parentibus, patriam reliquit et in Argentinam venit.

Bonis Auris, in nostra ecclesia, acolythi munere functus est; ibique ad perfectiorem vitam se sensit vocatum. Sex annis curriculo humanistico in nostro iuvenatu expleto, in novitiatum ingressus est anno 1943. Votis emissis 2 feb. 1944, studentatum petiit; quo peracto sacerdotio auctus est 20 iul. 1950.

Cum maximis ornaretur virtutibus, aptissimus visus est qui nostram studiosam iuventutem coleret; ideoque a Superioribus in iuvenatum missus est. Per quattuor annos labore refertos, et scholas alumnis nostris tradidit et Scientiis rerum naturalium incubuit iussu Superiorum, ut congruens diploma academicum assequeretur. Hoc adeptus, omnes ei uberrimum laborem decernebant: Dominus tamen aliud statutum habebat.

Mense feb. 1957 gravibus molestiis est affectus — medici existimarunt esse « colisititis » — quae tamen paulo post plus minusve cessarunt. Mense feb. 1958 dolores, et quidem acerbiores, redierunt: Pater operationi chirurgicae sese subicere debuit. Tunc demum verum patefactum est: carcinomate laborabat! Medici paucos menses eum victurum fore dixerunt. Tamen adhuc ei longum martyrium unius anni et dimidii perferendum deerat.

Post sectionem chirurgicam aliquantulum reffectus est. Non tamen diu: iterum et in dies graviore dolores eius animum temptarunt. Pater, veniens in suspicionem suum morbum gravem esse, se in manibus Patris caelestis constituit suamque vitam Deo obtulit ut quam plurimae vocationes Congregationi mitterentur.

Quodam die, unus confratrum, vera caritate inductus, ei aperuit quonam morbo laboraret. Quem nuntium, etsi initio res animum eius parumper deturbavit, tamen protinus placide suscepit et iterum Deo vitam pro vocationibus obtulit. Morbus diuturnus, dolorum plenus, vario cursu fuit. Saepe maximis doloribus afficiebatur, quos invicta patientia ferebat quin fere lecto uteretur et unquam animi tranquillitatem amitteret.

Quot noctes, ne confratribus molestiam aliquam daret, vigilans egit! Hoc maxime sibi proposuerat: « confratribus ne minimum quidem incommodum afferre ». « Si meis confratribus molestus sum, a Deo efflagitabo ut quam citius animum meum suscipiat ».

Quadam nocte oct. 1959, quae eius postrema omnibus videbatur, ipse Absolutionem et Benedictionem Apostolicam petiit. « Quam dulce est, inquit, in Congregatione mori ». Confratribus valedixit et eos rogavit ut laudes Matris Virginis canticis solverent. Interea oculos in imaginem Virginis defixos habebat, sperans per Ipsam ad Iesum tandem evolare. Sed nondum erant expleta consilia Patris caelestis; adhuc exilium aliquamdiu dilatatum est. Tandem die 22 dec. 1959 placide, sensim sine sensu animam Deo reddidit.

Nobis non est dubium quin P. Melchiori futurus sit semen uberrimum vocationum pro nostra Provincia Bonaërensi.

CAR. BARTOLOMÉ, C.SS.R.